

ventum ad supremum est. terris agitare vel undis  
 Troianos potuisti, infandum accendere bellum,  
 deformare domum et luctu miscere hymenaeos:      805  
 ulterius temptare veto.' sic Iuppiter orsus;  
 sic dea summisso contra Saturnia voltu:  
 'ista quidem quia nota mihi tua magne voluntas  
 Iuppiter, et Turnum et terras invita reliqui;  
 nec tu me aëria solam nunc sede videres      810  
 digna indigna pati, sed flammis cincta sub ipsam  
 starem aciem, traheremque inimica in proelia Teucros.  
 Iuturnam misero, fateor, succurrere fratri  
 suasi et pro vita maiora audere probavi,  
 non ut tela tamen, non ut contenderet arcum:      815  
 adiuro Stygii caput in placabile fontis,  
 una supersticio superis quae reddit a divis.  
 et nunc oedo equidem pugnasque exosa relinquo.  
 illud te, nulla fati quod lege tenetur,  
 pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum:      820  
 cum iam conubiis pacem felicibus, esto,  
 component, cum iam leges et foedera iungent,  
 ne vetus indigenas nomen mutare Latinos  
 neu Troas fieri iubeas Teucrosque vocari  
 aut voœm mutare viros aut vertere vestem.      825  
 sit Latium, sint Albani per saecula reges,  
 sit Romana potens Itala virtute propago:  
 occidit, occideritque sinas cum nomine Troia.'  
 olli subridens hominum rerumque repertor:  
 'es germana Iovis Saturnique altera proles,      830  
 irarum tantos volvis sub pectore fluctus.  
 verum age et inceptum frustra submitte furorem:  
 do quod vis, et me victusque volensque remitto.  
 sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt,  
 utque est, nomen erit; commixti corpore tantum      835  
 subsident Teucri. morem ritusque sacrorum  
 adiciam faciamque omnis uno ore Latinos.  
 hinc genus Ausonio mixtum quod sanguine surget,  
 supra homines, supra ire deos pietate videbis,  
 nec gens ulla tuos aequa celebrabit honores.'      840